Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 843
Quelle:
Copyright:

est: *Incipit Gregorius super ezechielem.* Homiliae omnes XXII. ut habentur edit. *Maur. Paris.* 1705. T. I. *col.* 1173. f. cum Praef. ad *Marianum* Ep. Ante Homiliam XIII. haec Rubrica: *Incipit secunda pars* (non Liber) *omeliarum beati Gregorij* &c. Neque ejus Praefatio ab ipsa Homilia discreta est. Lectio comparata cum Editione *cit.* satis proba est; omisit tamen Librarius primam vocem Praefationis mox dictae *Quoniam*, et in fine Operis, ubi alii legunt *per dolores innumeros*, alii *per dolores et vulnera innumera*, Mauriani vero *per dolores et munera*, habet *per dolores et vulnera et munera.*

II. *fol.* 106. p. 2. *Incipit Gregorius super cantica.* Ita nempe: *Postquam a Paradisi gaudiis expulsum genus humanum* &c. Abjudicaverat hanc Expositionem a *Gregorio Petr. Gussanvillaeus*, sed luculentis rationibus ei adserta est a *Maurianis* T. III. edit. *cit. col.* 393. quorum collatione Textum nostrum paucis naevis laborare comperimus. Adscripta est illi *fol.* 131. continuo Commentatio una in illud *Cant.* IV. v. 13. *Emissiones tuae paradisus* &c. de tribus emissionibus: *prima coniugatorum penitencium in mundo, secunda conuersorum continencium in claustro, tercia predicatorum qui fructum faciunt in populis* &c. altera de exeuntibus e mundo *per septem dietas;* ista vero evulsis membranis mox abrumpitur. Nihil hae ad *Gregorium*, sed recentioris Ascetae sunt.

CCCLXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 473
Folior. 295. f. per duas columnas a diversis quidem, sed commode perscriptus, et olim a *Thoma Haselbachio* testamento, ut frons edicit, legatus *ad collegium beate marie virginis domus bursa rose aput fratres predicatores in wyenna* complectitur sequentia: I. absque divisione in *Libros*, notato tamen *Libri II. Prologo*, et praemisso exiguae opis Indiculo *Homilias XXII. Gregorii M. in Ezechielem Proph.* prout habentur edit. *Maur.* T. I. p. 1173. *Paris.* 1705. f. Ineunt a Praefatione ad *Marianum*, quem Codex neque sic, neque *Marinianum*, sed *Maximianum* vocat: *Omelias que in beato ezechiel prophete ita ut populo loquebar* &c. et sic satis castigate decurrunt usque ad *Homiliae ult.* verba: *Sed nobis solerter inquirendum est, qui* — — edit. *cit.* p. 1425. in quibus Librarius, nescio cur, calamum excussit.

II. *fol.* 143. ad *Henrici* nostri *de Hassia* Scripta deducimur, et primo quidem ad memorabilem Tractatum de Schismate inter *Urbanum* VI. et *Clementem* VIII. deque Vaticiniis eapropter gliscentibus, praecipue *Theolofori*, seu *Telesphori* cujusdam *Eremitae*, qui merito vapulat. *Capitibus* constat XLVII. quorum nobis praeit Elenchus, quem excipit Dicatio: *Reuerendo in christo patri ac Domino Domino B.* (Bertholdo de Wechingen ✠ 1410.) *frysingen. Episcopo* &c. *Olim veteres in populo*